

Aliquando vero contingit nullitatem oriri ex jure humano, actum vero esse talem, ut pendeat ex efficaci consensu operantium, seu contrahentium, ut matrimonium contractum inter consanguineos intra quartum gradum est nullum, supposito jure ecclesiastico; et hic etiam actus non potest per legem declarativam posteriorem suppleri quoad præcedentes actus, sed necesse est ut, ablato impedimento, iterum valide fiant per iteratum consensum contrahentium, quia ab illo pendet essentialiter talis actus, nec potest lex sola per se ipsam illum efficere. Interdum vero nullitas actus et pendet ex jure positivo, et per ipsummet refici potest, quia non dicit intrinsicum respectum ad alium consensum; et tunc, quamvis lex declarans nullitatem actus comprehendat præteritos; nihilominus auctor legis potest illum defectum auctoritate sua supplere, vel dispensando, vel per se talem actum efficiendo; et hujusmodi videtur esse casus in d. cap. *Aqua*: nam illa benedictio vel purificatio templi institutio est humana, et forma vel necessitas ejus potuit per pontificem vel dispensari, vel suppleri.

8. *Lex constitutiva juris sua natura de futuris tantum datur.*—*Præceptum ut tale non potest dari nisi de futuro.*—Dico secundo: Lex constitutiva juris per se et quasi natura sua non extenditur ad præterita, sed de futuris tantum datur: quoad aliquos vero effectus extendi potest ex voluntate legislatoris satis expressa, aut declarata. Tota assertio sumitur ex dist. cap. 2 et cap. ult. de Constit., et ex d. 1. *Leges*, ubi Glossa et doctores, Felin. c. 2, et Navar., in Com. de Dat. et promis., n. 6. Item Gloss. in cap. 1, de Cleric. non resid. in 6, verb. *Receperint*, et in Clement. 1, de Testam., verb. *Deputatis*, et in Clement. 2, de Ætate et qualit. verb. *In posterum*, et in Clement. 1, de Concess. præben. verb. *Concesso*: ratio autem prioris partis generalis est supra tacta, quia lex ponitur ut regula humanorum actuum; quando autem constituit novum jus, introducit novam regulam operandi: ergo ex natura sua fertur pro actibus futuris, quia præteriti jam non indigent regula: imo nec sunt capaces illius. Confirmatur, quia præceptum, ut tale est, non potest dari de præterito actu, sed de futuro, ut per se constat; at lex, ut est constitutiva, est præceptum quoddam: ergo. Imo hinc etiam intelligitur legem ut legem, absolute loquendo, solum cadere in futuros actus, non in præteritos, quia lex ut lex essentialiter est præceptum, ut ex supra dictis

constat. Lex autem declarativa, ut sic, potius est doctrina quædam, quæ optime cadit in præterita; quod si consideretur illa lex ut præceptum obligans ad sequendam illam declarationem ut authenticam, sic etiam præceptum illud versatur circa actus per quos nunc judicatur de sensu præteritæ legis, et ita non inducit obligationem novam ad aliquem præteritum actum, ut per se constat, sed ad futuros.

9. *Quid de effectu pœnæ dicendum.*—Ad explicandam igitur et probandam alteram partem assertionis, distinguendi sunt legis effectus supra numerati, quorum primus est obligatio, qui locum non habet in actibus præteritis, quatenus præteriti sunt, ut per se et ex dictis constat, et ideo quoad hunc effectum non potest legislator, etiamsi maxime cupiat, extendere novam legem ad actus præteritos, quia si illi facti sunt sine culpa non poterunt reddi culpabiles propter legem postea latam. At vero quoad effectum pœnæ, potest lex per voluntatem legislatoris extendi ad actum præteritum, non solum quatenus habet respectum vel tractum successivum in futurum (quod est per se manifestum et expressum in cap. *Cum tu*, de Usur., et est frequens in censuris ferendis), sed etiam propter actum prius commissum; ut hoc autem locum habeat, necessario supponendum est talem actum fuisse malum, contra aliud jus antiquius vel naturale, vel positivum, quia non est actus dignus pœna, nisi quatenus per illum violatur aliquod jus: per actum autem præteritum non violatur jus posterius conditum: ergo ut possit per posteriorem legem juste puniri, necesse est ut supponatur fuisse contra aliquod jus antiquum. Hoc autem intelligendum est de propria pœna, sicut in simili nuper dixi: nam si sit sola irregularitas, seu inhabilitas, potest ex præterito actu imponi, etiam sine culpa ejus cui imponitur. Idemque est de revocatione alicujus privilegii. Exempla sunt quoad primum in Motu proprio Pii V de illegitimis: quoad secundum vero in Concilio Tridentino, sessione vigesima tertia, capite sexto de Reformat., ubi disponit de ordinatis in minoribus, et comprehendit eos qui ante illam legem erant ordinati.

10. Deinde, supponere necesse est legislatores habere potestatem ad puniendam delicta non tantum commissa contra suas leges, sed etiam contra alias divinas vel humanas, quod per se satis clarum est, quia ad eum pertinet cura ut omnes leges serventur, et consequenter potestas coerciva ejus extenditur ad omnes

transgressionem quarumcumque legum pertinentium ad convenientem reipublicæ gubernationem. Ex his ergo recte concluditur posse principem nova lege punire delicta prius commissa contra alias leges priores. Et declaratur: nam potest punire præcedens delictum per sententiam postea datam; ergo etiam potest per legem postea latam, quia sententia est quædam particularis lex. Oportet autem ultimo observare duobus modis posse legem punire præcedens delictum. Primo, pœna ipso jure imposita; et hoc rarissime vel nunquam fit, quia esset nimis rigorosum, unde censura (quæ maxime solent ipso jure imponi) nunquam imponuntur propter delictum præteritum, ut sic, de quo alibi. Alio modo designat lex pœnam inferendam a iudice, et hoc facilius fieri potest, etiam in ordine ad delicta jam commissa, quando non habebant certam pœnam taxatam: nam tunc futura erat arbitraria, et hoc arbitrium potest lex definire. Si autem prius erat pœna imposita per priores leges, vix potest augeri per posteriorem legem in ordine ad delicta jam commissa, quia jam illa induxerunt proprium reatum pœnæ. Nihilominus propter aliquam urgentem causam boni communis existimo id fieri posse a supremo principe, quia nunquam sibi abstulit hujusmodi potestatem.

11. *Raro potest lex de novo irritans ad actus jam factos extendi, non tamen omnino repugnat.*—Atque eodem modo sentiendum est de alio effectu irritandi actum; raro enim potest lex de novo irritans ad actus jam factos extendi, non tamen omnino repugnat; quia ex justa causa potest iudex irritare actum jam factum et validum, per sententiam; ergo et legislator ex causa proportionata poterit idem facere per legem, si tamen actus irritabilis sit; quod dico propter matrimonium et similes actus qui sunt natura sua, vel Christi institutione, indissolubiles, et hoc ad minus sumitur ex cap. *Ante triennium*, d. 31; imo, in his qui ab hominibus irritari possunt, oportet advertere quosdam fieri ita validos, ut sint etiam omnino firmi ex se, quia videlicet legitime facti sunt, et secundum omnes leges quæ tunc vigeant quando facti sunt, et hujusmodi actus semel facti, moraliter loquendo, non possunt per subsequentem legem irritari, nisi forte in pœna alicujus novi delicti, vel propter tantam necessitatem boni communis ut ad subveniendum illi possit quis suis bonis privari, quia per talem actum est jus acquisitum de se firmum et stabile. Alii vero sunt actus qui, licet sint

validi, sunt tamen infirmi aliquo modo, quia ex aliqua parte contra legem facti, et hi possunt facilius per subsequentem legem irritari: nam in illis proprie habet locum ratio facta, quod talis irritatio tunc est justa pœna, et ideo ex rationabili causa potest per legem fieri.

12. Atque hinc tandem constat ultima pars assertionis; nimirum, ut hæc extensio legis ad actum præteritum tam in hoc quam in præcedenti casu admittatur, necessarium esse ut in lege ipsa sit satis expressa. Quod docet Panorm. in cap. *Cognoscentes*, de Constit. Angel. verb. *Lex*, n. 10; Sylv., n. 23, et sumitur ex d. cap. 2 et ult. de Constit.; unde si dubium fuerit, potius lex coarctanda est ex generalibus principiis juris, quod pœnæ et odia sunt restringenda, et quod leges modo maxime connaturali interpretandæ sunt: ostensum est autem extensionem legis novæ ad præteritum quodammodo esse præter naturam legis, quæ est regula futurorum. Advertere tamen hic ultimo oportet aliud esse legem simpliciter disponentem cadere in actus præteritos; aliud vero non includere ullo modo res præteritas, seu jam factas. Hic enim solum primum affirmamus, et id probant jura et rationes adductæ: secundum autem nec necessarium est, nec verum; nam lex prohibens usum talis libri aut vestis prohibet quidem usum tantum futurum, tamen prohibet illum, etiam circa librum, aut vestem prius factam, si absolute et simpliciter disponat, quia illa tantum est quasi materia remota legis: lex autem nova optime potest versari in re antiqua, ut in materia remota. Item sæpe potest lex prohibendo aliquid futurum impedire ne actus jam inchoatus consummetur, ut si lex denuo prohibeat illegitimum profiteri, potest extendi ad eum qui jam erat novitius quando lex nova edita est, quia etiam ille tantum est materia remota illius legis. De quo puncto videri possunt multa quæ in utramque partem erudite tractat Navar. in dicta except. 22, fere per totam.

13. *Legem loquentem de præterito regulariter totum tempus comprehendere.*—Sed quæret hic aliquis an lex expresse loquens de præterito extendatur ad præsentia vel futura. Respondeo breviter, regulariter loquendo totum tempus comprehendere. Ita docent Bart. in l. *Cum lex*, ff. de Legibus; Bald. et alii in l. unic., ff. de Cond. ex lege; Panormit. in c. 2 de Constitut. in princ. Angel. verb. *Lex*, n. 10; Sylv., n. 24; et ratio est, quia lex semper loquitur, l. *Ariani*, Cod. de Hæret., et ideo licet lex dicat,



qui facit vel fecit hoc, semper loquitur contra eum qui in quolibet tempore facit, vel quotiescumque de illo dici potest fecisse. Item cum lex per se et natura sua versetur circa futura, ad illa maxime ferri censetur, etiamsi per verba præteriti vel præsentis loquatur. Intelligendum autem hoc est, nisi materia legis obstet, aut aliquod absurdum sequatur, ut dicti auctores limitant ex l. *Cum lex*, ff. de Legibus, dicente: *Cum lex in præteritum quid indulget, in futurum vetat*. Quia si indulgeret etiam in futurum, daret occasionem delinquendi, unde potius indulgendo supponit actum esse dignum poena, et ideo limitat indulgentiam ad præteritum, ut in futurum prohibeat aut prohibitum relinquat.

## CAPUT XV.

QUÆ FORMA EXTERNA SEU SENSIBILIS SERVANDA SIT IN FERENDA LEGE HUMANA.

1. Diximus de materia legis civilis, superest dicendum de forma, quæ potest duplex cogitari, una externa et sensibilis, quæ est veluti corpus legis, alia interna et quasi spiritualis, quæ est veluti anima, seu ratio legis. De hac posteriori dicemus in cap. 17, nunc de priori. Supponimus autem ex dictis in cap. 1 legem civilem quæ subditis datur constitui in genere signi indicantis principis voluntatem: unde necesse est ut tale signum sit sensibilis humanæ cognitioni accommodatum. De hoc ergo signo in generali constat debere esse tale, ut modo sensibili principis voluntatem indicet subditis, alioqui non esset signum humanum, et consequenter non esset lex humana: hæc ergo significatio est de substantia hujus legis; quibus autem verbis exprimi debeat dicemus paulo inferius: unde inter conditiones legis ponit Isidor. ut sit manifesta, id est, clara, *ne per obscuritatem quid in captionem contineat*, ut ait lib. 3 Etym., cap. 21, et cap. *Erit autem*, dist. 4, id est, ne obscuritas sit occasio deceptionum et ambiguitatum, unde etiam convenientissimum esse solet ut leges simplicibus, brevibus ac claris verbis ferantur: nam quando prolixiores sunt, plerumque sunt magis perplexæ et ambiguitatibus expositæ.

2. Ex quibus colligo in forma legis sensibili duo posse distingui: scilicet materiale signum, ut vocem vel scripturam, et significationem; ex quibus, si inter se comparentur, scriptura, vel sonus, materiale quid est, significatio autem formale; ex utroque vero completur forma sensibilis legem constituens, seu quæ est ipsa-

met lex: nam cum lex sit actus humanus, est etiam quædam forma. Declarari potest exemplo formæ sacramentalis, quæ est in verbis; in eis tamen sonum verborum tanquam materiale quid, et sensum, seu significationem tanquam formale distinguimus, et ex utroque formam sacramentalem constitui dicimus. Ita ergo est suo modo in lege: consistit enim in signo externo, quod materiam aliquam requirit; ejus tamen essentia in significatione, et sensu posita est: unde, quod Augustin., lib. de Catechiz. rud., cap. 9, generatim dixit, et refertur in cap. Sedulo, dist. 38: *Præponendam esse verbis sententiam, ut præponitur animus corpori*, et quod de Evangelio dixit Hieron. ad Galat. 1: *Non in verbis Scripturarum esse Evangelium, sed in sensu*, cap. Marcion. 1, quæst. 1, hoc ipsum cum proportionem de lege humana dici potest: nam materialia verba nec obligationem inducere, nec alium effectum legis habere possunt, nisi quatenus indicant principis voluntatem et imperium; est ergo de formalitate legis, ut sit sensibilis signum. Explicandum vero superest, quale esse debeat, et an solemnitate speciale requirat, ut in ratione legis plene constituatur, ideoque ad externam legis formam pertineat. Distinguere autem possumus solemnitate hanc, vel antecedentem, vel concomitantem, seu inexistentem ipsi legi, vel subsequentem, et de singulis inquirendum est.

3. *Ut lex prudenter constituatur naturaliter esse opus multorum consilium, at in rigore non esse necessarium.* — Circa primam dubitari potest, utrum ad ferendam legem præcedere necessario debeat multorum consilium, atque suffragium, in quo breviter dicendum est, hanc diligentiam esse moraliter necessariam, ut lex prudenter, et recte constituatur; quia res est valde gravis, et pendet ex multarum circumstantiarum consideratione, quæ facilius a multis, quam ab uno attenduntur, et ob eandem causam necesse est ut fiat lex suffragio virorum prudentum, qui et periti sint, et timorati, ut habetur in l. *Humanum*, Cod. de leg., ubi imperatores profitentur non aliter esse legem aliquam promulgaturos, quamvis indicent, hoc non esse absolutæ necessitatis, sed prudentiæ, et benignitatis: unde in rigore loquendo hæc solemnitas non est de necessitate legis: nam si princeps solo arbitrio proprio ferat legem, valida erit, dummodo alias justa sit; quia neque ex natura rei illa solemnitas est necessaria, neque aliquo speciali jure est præscripta. Antecedens quoad priorem partem

de jure naturali patet, quia illa consultatio solum requiri potest, ut lex sit justa, et rationi consentanea; si ergo contingat, sine aliorum consilio Principem attingere justitiæ æquitatem et publicam utilitatem in lege ferenda, non oberit valori ejus ommissio præviæ consultationis; licet fortasse male faceret princeps suam præcipitando sententiam, cum periculo errandi, et cum scandalo. Quoad alteram verò partem de jure positivo probatur; tum quia nullum extat; tum etiam, quia licet existeret, ipse Princeps posset illud mutare, vel secum pro tunc dispensare valide, etiamsi in hoc peccaret. De quo puncto videri potest Bartol. in l. *Omnes populi*, ff. de legibus, et Jason in l. 1, de Constit., prin. n. 1.

4. Atque hinc ulterius sequitur, ad legem constituendam non esse per se necessaria suffragia multorum, quia voluntas principis sufficit. Hoc autem vel formaliter (ut sic dicam) intelligendum est, vel ad monarchiam est restringendum, in qua potestas legislativa sit in una persona: nam tunc sola voluntas ejus est de substantia legis. Ubi vero regimen est multorum constituentium unum tribunal, tunc multorum suffragium necessarium est, non per modum solemnitatis accidentariæ, et præambulæ, sed propter substantialem constitutionem legis, quæ non pendet ex una tantum persona, sed ex congregatione constante ex multis: tunc autem dicimus, legem illam constitui ab una persona ficta, et ita formaliter (ut sic dicam) uno consensu constitui: et ideo necesse est, ut omnes, qui suffragium decisivum habent, vocentur, quantum commode fieri possit, argumento l. 2, Cod. de Decur., l. 10, vel sufficere convocare eos qui in urbe suo loco tunc adsunt, dummodo duæ partes totius corporis præsentis sint, argumento l. *Nominationum*, eodem titul., et l. *Nulli*, ff. Quod cuiusque univers., et ex eisdem juribus constat oportere ut simul congregentur ad legem constituendam per modum unius corporis. Non vero oportet ut omnes consentiant, sed quod major pars curiæ fecerit perinde habetur ac si ab omnibus factum fuisset, juxta l. *Quod major*, ff. Ad municip., quod recte Glossa exponit de his qui convenerunt. Idem in l. *Aliud*, ff. De regulis juris. In jure autem canonico addi solet: Ut consentiat etiam sanior pars, cap. 1 De iis quæ fiunt a maj. part. cap. Sed illud est speciale in rebus ecclesiasticis, ut ubi notat Abbas n. 3 et 11; secundum civile autem jus illa censetur sanior pars quæ est major totius consessus, ut notavit Felin. cap. *Cum omnes*,

de Constit., n. 19 et seq., ubi plura de hoc puncto videri possunt.

5. *Lex humana scripta alia, alia non scripta.* — *Alia divisio legis.* — Circa secundam solemnitatem inquire maxime solet, an necesse sit legem humanam esse scriptam; in quo sciendum est juristas communiter distinguere legem humanam, in scriptam et non scriptam; sed per legem non scriptam communiter intelligunt consuetudinem, quæ vim habet legis: de illa vero nunc non tractamus, infra enim de illa specialiter dicendum est; sed agimus de propria lege, quæ expresse et directe a principe constituitur: unde ex illa distinctione potius videtur inferri legem propriam, de qua modo agimus, debere esse scriptam. Ita enim est illa distinctio intelligenda, duplicem scilicet esse legem: unam, quæ solum introducit per tacitum consensum civitatis et principis, cujusmodi est consuetudo; aliam vero, quæ fertur per expressum imperium, de qua procedit dubitatio propria. Cum ergo jurisperiti hanc posteriorem distinguant a priori tanquam scriptam a non scripta, videntur sentire de ratione hujus legis esse scripturam; et alia multa in confirmatione hujus partis adduximus supra libro 1, cap. 11.

6. *Conclusio.* — Nihilominus dicendum est, licet optimus modus ferendi legem sit in scripto, non esse tamen hoc de substantia et valore legis. Prima pars probatur primo ex communi usu. Secundo, quia oportet ut leges sint stabiles, ac proinde ut signis permanentibus ferantur. Tertio, quia sæpe necessarium est expendere propria et formalia verba legis, quod non potest moraliter fieri, nisi sint scripta. Nihilominus probatur altera pars, quia hæ rationes tantum sunt congruentiæ, et majoris utilitatis; non tamen probant absolutam necessitatem ex natura rei; quia expressum præceptum sufficienter potest verbo ferri, et publice proponi, et per traditionem ab uno in alium conservari; imo Christus Dominus ita tulit præcepta sua, et aliqua non fuerunt in divinis litteris scripta. Hoc vero facilius ipse potuit agere quam humani legislatores, quia potuit ea scribere in cordibus, et quia per Spiritum sanctum ita regit Ecclesiam Catholicam, ut non sinat eam talium præceptorum oblivisci. Atque hæc resolutio, scilicet, scripturam non esse de substantia legis, communis est, ut patet ex Rota, titulo de Constit., decis. 1 in novis; et ex Panormit. Decio, Felin. et aliis in titulo. seu rubr. de Constit., et Joan. Andr. in regula *Nemo potest*, de Regul. jur. in 6, et